



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1691. usque ad annum 1701

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1781

VD18 13322648

§. 26. Innocentii XII. decretum de restauranda Regularium disciplina.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67627](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67627)

Sæc. XVII.
A. C. 1696.§. XXVI.
Innocentii XII. decretum de restauranda Regularium disciplina.

Italia pristinae suae tranquillitati red-
dita, Innocentius XII. Papa Delphi-
num tanquam Sedis Apostolicæ Lega-
tum Parisios decrevit, qui etiam die
duodecima Augusti eo adventans, Gal-
liarum Regi confectum pacis negotium
gratulabatur: Pariter Pontifex Marti-
nitio Comiti, qui Cæsaris Legatus die
quarta Januarii Romam consueta pom-
pa ingressus erat, validas omnino pe-
cuniarum suppetias pro bello Turcico
pollicebatur, dummodo Principes Chri-
stiani sublatis inter se dissidiis firmam,
communemque pacem initari essent.
Præterea Innocentius XII. jam dudum
Regulares Ordines per Italiam ad pri-
stinam Instituti sui normam revocare
exoptaverat, hanc in rem quampluri-
mas habuit consultationes, tandem
vero hoc anno decretum promulgavit,
quo Regulares omnes ad votorum te-
norem communi viétu uti, omnesque
peculium in arbitrium sui Superioris,
qui sine habita personæ ratione singulis
necessaria administraret, remittere jussi
sunt: ut vero saluberrima hæc Consti-
tutio perpetuo servaretur, Pontifex

Sæc. XVII. Congregationem trium Cardinalium
A. C. 1696. instituit, qui ñprema inspectione de-
 cretum Pontificium executioni man-
 dari curarent.

§. XXVII.

Cælestini Sfondrati Cardinalis obitus.

Palat. Fast. *Card. t. 5.* **E**odem anno, quo Cælestinus Sfon-
 drati Purpuram Romanam induit,
 eandem unacum vita exiit: Hic ex
 Comitibus Sfondratorum de Riviera
 Mediolani natus, Aloysii nomen in
 Baptismate adeptus positus Rosaci in
 Germania primis pietatis, studiorum-
 que rudimentis in San - Gallensi Ab-
 batia Ordinem S. Benedicti professus
 est: Tanto Religionis, ac monasticæ
 disciplinæ studio, necnon scientiarum
 copia adolescens eminebat, ut nondum
 Sacerdotio initiatus, jamjam Campi-
 donæ Theologiam publice traderet,
 ac inde revocatus, in suo Monasterio
 Philosophiam, Theologiam & jus Ca-
 nonicum per plures annos tanto cum
 applausu, atque Auditorum fructu in-
 terpretatus est, ut ex legis Doctore,
 morum pietatisque Magister effectus,
 discipulos non minus eruditione omni-
 gena, quam probitate monastica clarif-
 simos celeberrimo suo Ordini dederit:
 Postea Superiorum imperio Salisbur-
 gum